

**MODUS SEPELIENDI PARVULOS IN
CHRISTO BAPTIZATOS.**

Sacerdos indutus superpelliceo & stola alba in domo ad funus dicat :

V. Sit nomen domini benedictum.

Rc. Ex hoc nunc & usque in saeculum.

Tum sub portatione funeris canitur . Psal ,
Laudate pueri &c. Illud in sepulchro depositum
Sacerdos aqua benedicta ter aspergat , & tertio
pala aliquid terrae superinjiciens , dicat : de
terrâ ut suprà. Sepulchro cooperito canitur vel
dicitur :

V. Juvenes & virgines , senes cum junioribus.

Rc. Laudent nomen domini.

V. Sinite parvulos venire ad me.

Rc. Talium est enim regnum cœlorum,

V. Dominus vobiscum.

Rc. Et cum spiritu tuo.

O r e m u s.

Omnipotens sempiterne deus , sanctæ puri-
tatis amator , qui animam hujus parvuli ad
cœlorum regnum hodiè misericorditer vocare
dignatus es. Digneris etiam ita nobiscum mis-
ericorditer agere , ut meritis Ss. Passionis &
intercessione B. Mariæ semper Virginis & omni-
um Sanctorum tuorum in eodem regno nos cum
omnibus Sanctis & Electis tuis semper facias
congaudere.

Deus , in cuius miseratione animæ fidelium
requiescunt , famulis ac famulabus tuis om-
nibus hic & ubique in Christo quiescentibus da
pro-

propitius veniam peccatorum, ut à cunctis reatibus absoluti tecum sine fine lætentur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

X. Requiescat in Pace. **Rc.** Amen.

MODUS CELEBRANDI SACRAMENTUM MATRIMONII.

Introductio Sponsæ in Ecclesiam.

Sacerdos superpelliceo aut alba & stola indutus cum aqua benedicta ad Sponsam in porticu consistentem accedat, & si vegetioris ætatis sit, super eam dicat Psal. Beati omnes. ut infra.... Si verò provectionoris sit ætatis, dicat Psal. Qui confidunt. ut infra in secundis Nuptiis... Tum dicat: Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

X. Et ne nos inducas intentionem &c.

X. Domine salvam fac ancillam tuam.

Rc. Deus meus sperantem in te.

X. Mitte ei auxilium de sancto.

Rc. Et de Sion tuere eam.

X. Esto ei domine turris fortitudinis.

Rc. A facie inimici.

X. Domine virtutum converte nos.

Rc. Et ostende faciem tuam, & salvi erimus.

X. Domine exaudi orationem &c.

X. Dominus vobiscum &c.

O r e m u s.

Omnipotens sempiterne deus, qui unumquemque fidelem custodis, benedicere & digneris hanc famulam tuam, quæ ante fores Ecclesiæ consistit, oratorii ingressum petitura,